

10
 ob quam exilio multatus fuit, nusquam memorat, nec constat, an de eo red-
 ctus fuerit; quamquam, si propterea in exilium eiectus fuit, quod in Ludovicum
 Imperatorem cum aliis factionis conspirasset, vix dubium esse possit, quin cum
 reliquis, qui earum fuerant partium, quibusque Ludovicus ignovit, ab exilio
 fuerit revocatus. Meminit equidem Astronomus in Vita Ludovici, Ermoldi Ab-
 batis, eumque ab Imperatore ad Pippinum filium missum narrat cum mandatis,
ut res Ecclesiasticas, quae in Regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi
praeripuerant, absque cunctatione Ecclesis restitueret. At diversum hunc esse ab Er-
 moldo hujus Poëmat's auctore existimat eruditissimus Mabillonius in Annal. Be-
 nedictin. Lib. XXXI. num. XXII. Cui ego libens assentior, tametsi argumentum
 in toto Opere inveniam nullum, quo revinci possit is, qui eundem esse opinetur.
 Nam Poëtam nostrum Benedictinae Familiae aut Abbatem aut Monachum fuisse,
 suadent cum ea, quae in commendatione Regulae ac Monasticae disciplinae ad-
 fert, tum Pippini ad eum verba, quum in Britannica expeditione illum vidisset
 armatum:

„ Cede armis Frater, Litteram amato magis.

Militasse autem eo tempore tam Monachos, quam Abbates, id omnibus notum est.
 Nec videtur indulgentissimi Principis, qui poenarum loco beneficia quandoque tri-
 buebat, facilitati ac clementiae repugnare, ut hominem, qui ab eo errati veniam
 impetraverat, legaret ad filium Pippinum, cum quo magnum ei visum fuisse ex
 ipso Poëmate non obscure percipitur: Ut ut sit, ac quisquamque demum fuerit
 hujus Poëmat's Auctor, id profecto publica luce dignissimum est, & ab omnibus
 Eruditis jam diu expetitur. Neque enim quod Mabillonius loco paullo ante me-
 morato innuere videtur, integri quatuor Libri, sed dumtaxat Operis prologus,
 initium & finis, editi fuerunt a Lambecio Lib. 2. Comment. a pag. 359. Suspi-
 cabar equidem olim, totum Poëma vulgo exstare, quum legerem doctissimas Mar-
 quardi Freheri notas in *formulas foederis Ludovici Germaniae, & Caroli Galliae Regum,*
Ludovici Pii filiorum apud Argentoratum, Anno 842. percussi, & in iis versus quos-
 dam ex Ermoldo, tamquam ex alio quovis obvio Auctore adduci animadvertem-
 rem, donec in Epistolas Jani Gruteri, ejusdemque Marquardi Freheri ad Seba-
 stianum Tengenagelium autographas incidi; ex quibus didici, quemadmodum Fre-
 herus in Poëmat's istius, cujus quod sciam unicum exemplum hoc Caesareum est,
 notitiam devenerit, & ex illo versus, quos adfert, depromserit. Eas Epistolas
 visum ex Ermoldo praemittere, ut res tota in meliori lumine collocetur.

Jani Gruteri Epistola ad Sebastianum Tengenagelium.

S. P. Vir clarissime, & ignosce si paucis amabilissimae tuae Epistolae respondeo. Alio avo-
 cor; & volo, si fieri potest, has pervenire ad te tempore. Multum tibi debeo ob pium colloquium
 in hoc meo luctu, quem fero patienter, certus omnia a Deo bonis immitti in bonum. Arabem
 nostrum si remisseris, copia mox tibi fiet alterius, quem petis. De Catalogo Librariae Caesareae
 Majestatis, quod dignatus es eum mecum communicare, plurimum te amo, plurimum debeo.
 Livius meus quidem prodit, sed non etiam notae, quibus reddo rationem emendationum textus.
 Itaque si exstaret apud vos exemplar bene vetustum, aut quod descriptum ex autographo vetu-
 sto, haud id abnuam, quemadmodum nec Julium Caesarem, in quem jam molior variantes
 lectiones. Sed in primis, si Martialis quis notae bonae ibidem, eum cupiam; mihi submittere
 ne graveris, dummodo id fieri commode possit. Ermoldo quid fieri velit Freherus, cognosces ex
 hac ipsius scheda. Wegenmyeriani pertinaciter tacent, quod silentium interpretor pro abnutu.
 Causam ejus non exputo, nisi si est diversitas religionis, quam illi forte pertinaciter urgent, &
 exercent odio, quo minime deberent. Etiam ultimae istae tuae emissarii in oculos inciderunt,
 sed ita ut callide alteri imponere potuissent haud etiam mihi. Itaque Memneso Apistein.
 Nescio an Heinsius pergat in emaculando Nonno; nam alioquin & nobis vetustissimi ejus aucto-
 ris Codices, quos tamen numquam desideravit: indicabo ei tamen hodie mentem tuam benevo-
 lam. Haec habebam breviter ad tuas. Vale & salve mi Domine una cum animo meo carissimo
 capite Domino Blotio.

Heidelbergae 30. Januarii 1608.

Inscriptio.

T. T. Janus Gruterus.

Amplissimo Clarissimoque Viro Domino, Domino Sebastiano Tengenagelio S. C. Majestatis
 Bibliothecario.

Sche-